

gratia, & tollat vincula & compedes peccatorum, vel velamen oculorum removeat, nil nos posse. Hucusque orthodoxè loquuntur, Sed pergunt: ut homo solutus vinculis & compedibus remotis ex suis viribus ambulat, sublato velamine *δυνάμει ὀπίσθη* inhaerente videt: sic homo renatus suis viribus agit in spiritualibus. Hic recurrunt ad Pelagianismum, & verbo contraveniunt, quod etiam renatorum vires Dei vires, & Spiritus auxilium non nostras vires dicit.

24. *An libertati arbitrij, quantum ad actus elicitos seu internos, & imperatos seu externos, vis possit inferri?*

Resp. De prioribus quæstio negatur, *Prov. 21, 1.* De posterioribus affirmatur, *Marc. 14, 65. c. 15, 51. 52.*

25. *An metu tollatur arbitrij libertas?*

Resp. Disting. inter actus internos & externos. Illis à metu non tollitur arbitrij libertas, licet his, *Joh. 12, 42. Matth 26.*

26. *An concupiscentia interiorum voluntatis libertatem impedit?*

Resp. Tollit quidem nunquam, sed tamen impedit, *Jacob. 1, 14. 15 Rom. 6, 12.* Vide *Greg. Valent. tom 2, disp 2 quæst 1. punct. 4. 5.*

27. *An præter generale Dei auxilium, etiam in naturalibus requiratur speciale?*

Resp. Affirm ex *Actor. 17, 27. Joh. 5, 35,* cōtra *Origenē & Pelagianos.*

### Casus Conscientiæ.

*Unde quis certus esse possit, liberum arbitrium post lapsum corruptum, libertati esse restitutum?*

Resp. 1. Deploret virium suarum imbecillitatem, quod certo est documento, eluctatum esse hominem è servitute peccati, in qua arbitrium tenebatur captivum, *Joh. 9, 39. 40.* 2. Recumbat totus in Christum, adque ejus monita vitam, reformare satagat, *Joh. 8, 31. 32. 33. Roman. 6, 22. 2, Cor. 3, 17.*

### IN LOCO

## DE JUSTIFICATIONE.

### THEOREMATA.

1. **P**le & graviter D. Luth. 1. Tom. 4. latin. Jen. pag. 20. ait: jacente articulo justificationis, omnia jacent, itaque summè est necessarium, ut eum perpetuò inculcemus. Item: in corde meo unicus ille;